



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. VI. Libertatem indifferentiæ in statu naturæ lapsæ reperiri in
hominibus, Patrum testimoniis probatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

SECTIO QUINTA.

Divini Verbi auctoritate ostenditur, dari jam in nobis immunitatem à necessitate seu libertatem indifferentia.

I. In divinis Literis quot sententia, ut oracula.

AD divinas Literas orthodoxi omnes tanquam ad oraculum confugiunt, inde certissima responsa, & rursusque controversarum decisiones petunt, quodque illarum calculo firmatum vident, velut indubitatum amplectuntur. Ut ergo hæc veritas, dari scilicet post Adæ lapsum in hominibus libertatem indifferentia circa bonum & malum, melius nobis innotescat, eam ad divini Verbi testimonium veluti ad lapidem lydium exploremus.

II. Dari hanc libertatem indifferentia ostenditur ex variis sacra Scripturalocis.

Ad hanc ergo veritatem comprobendam illud imprimis occurrit, quo Moyses Deut. 30. vers. 19. populum Israëliticum affatur: Testes invoco hodie caelum & terram; quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum. Quæ sanè verba frustra protulisset Propheta, nisi in ipsorum potestate fuisset alterutrum ex iis eligere. Non absurdum est illud, quod Gad Propheta Davidi, Dei jussu proposuit: Trium, inquit, tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi, &c. Optio certè hæc ei data apertè indicat penes ipsum fuisse, ad unumquodque ex illis se pro sua voluntate inflectere, alioqui inaniter planè facta ipsi fuisset illa propositio.

III. Numer. 30. v. 14. Ecclesiastici c. 31. v. 10.

Idem clarè ostendit illud Numerorum trigesimo: In arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat: & Ecclesiastici trigesimo primo: Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Eandem veritatem, in hominibus scilicet post primi parentis lapsum dari libertatem indifferentia manifestè probat id quod Genesis 4. vers. 7. dixit Deus Caino: hic enim cum fratrem suum Abelem occidere statuisset, ut eum à tam immani, quod animo conceperat facinore cohiberet, sic illum est allocutus: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. En Deus Caino, qui post Adami lapsum natus est, dicit appetitum peccati sub ipso futurum: qua ergo fronte quisquam dixerit appetitum, seu concupiscentiam ita homines in naturâ lapsâ ad peccatum rapere, ut ei resistere non possint? Deinde eidem dicit Deus ipsum appetitum ad peccatum allicienti dominaturum: quale dominium in appetitum, si hic ita ad malum pertrahat, ut in hominis potestate non sit, illi refragari, sed velit nolit det manus, & quicquid suadet concupiscentia, necessariò amplectatur? Certè appetitus homini dominatur potius, quam homo appetitui.

Genesis 4. v. 7.

In sententia Iansenii appetitus potius dominatur homini, quam homo appetitui.

IV. Frustra in hac sententia Deus à Caino petiit, Cur iratus es?

Deinde, si non sit in hominibus post lapsum primi parentis libertas indifferentia, qua ratione à Caino petere potuit Deus, Quare iratus es? Respondere enim facile-juxta adversarios potuisset Cain, quia ad irascendum sum necessitatus, & hac in parte non habeo libertatem. Sanè si res ita se jam habeat cum homine, frustra Pater à Filio peteret cur mihi non obtemperas, frustra à reo iudex quæreret, cur furatus es, cur hominem occidisti, &c. eodem namque modo ab equo pe-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

teret quis, cur aliena grana aut gramina depascis à lupo, cur agnum devoras, &c. si par hominibus & bestiis incumbit isthæc faciendi necessitas. Sed de hoc iterum postea recurret sermo.

Nec minus clarè libertas hæc indifferentia hominum post lapsum, in novo Testamento traditur: sicut ad Corinthios cap. 7. v. 37. ait Apostolus: Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis, quamvis hoc intelligi fortè possit de necessitate, non physica, sed morali. Ut verò alia omittam, hoc ipsum apertissime convincit illud Apocalypsis 3. vers. 20. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo, &c. Deo ergo ad cordis januam pulsanti, hoc est, per sanctas inspirationes, lumenque coelitus infusum, ad respiciendum, ac penitentiam de peccatis agendum, virtutisque exercitationem invitanti, integrum est homini aperire, hisque Dei illustrationibus consensum præbere, ac divina gratia cooperari. Frustra ab enim tam pretiosum semen in hominum animis spargeret celestis agricola, si fructus ex eo provenire nullus posset. In quam rem pulchrè Originus in illa verba Numerorum: Et nunc Israël, potestate ei quid Dominus Deus poscit abs te, &c. Erulescant illi præbe hæc verba, inquit, qui negant in homine liberum arbitrium. Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti Deo deberet offerre.

Par juxta adversarios hominibus & brutis est necessitas.

V. In novo Testamento sapientius habetur dari in hominibus post lapsum Adami libertatem indifferentia.

Frustra ab homine potest, aut expicit Deus, quod non est in hominis potestate ei quid Dominus Deus poscit abs te, &c. Erulescant illi præbe hæc verba, inquit, qui negant in homine liberum arbitrium. Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti Deo deberet offerre.

Alia Scripturæ loca, quæ infinita prope sunt, omitto: res enim hæc, in nobis scilicet, etiam post Adami lapsum, dari libertatem indifferentia ad bonum & malum, ita ut ad utrumlibet se pro arbitrio inclinare quis possit, tam apertè in divinis Literis traditur, ut nullus, nisi perversissimus, planèque perfrictæ frontis, qui que ultro oculos occludat, de eâ dubitare possit.

VI. Nulla libertatem in hominibus esse non videtur in sacris Literis, nisi qui oculos ultro occludit.

SECTIO SEXTA.

Libertatem indifferentia in statu natura lapsæ reperiri in hominibus, Patrum testimonio probatur.

SACRAS Literas & Concilia à nobis contra Iansenium stare, libertatemque à necessitate dari, latè ostensum est Sectionibus præcedentibus, nunc idem auctoritate Patrum, qui sæculis ante actis, jam inde à nascente Ecclesiâ floruerunt, ipsiusque adeo antiquitatis voce ostendum.

Patres ergo mirè hac in re conspirant, darique jam in nobis liberum arbitrium, seu immunitatem à necessitate, ita constanter asserunt, ut supervacaneum sit eorum testimonia attexere: qui enim unius hac in re sententiam refert, eadem operâ sententiam refert omnium. Ut tamen ex innumeris pauca depromam: Homo, inquit S. Irenæus, vir ob eximiam in literis & virtute præstantiam, fulsumque pro Christo sanguinem, summo semper in honore & æstimatione in Ecclesiâ habitus, Homo rationalis, & secundum hoc Deo similis, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando palea fiat. Quomodo quæso liber est, ac suæ potestatis, si necessariò ad utrumque feratur. Clariùs hoc idem tradit S. Basilius: Creatura ita comparata est, inquit, ut virtutis, & divinæ dilectionis præmiu

I. Patres uno ore affirmant dari jam in nobis libertatem indifferentia, seu à necessitate

II. Nonnulla Patrum pro libertate indifferentia testimonia profertur

S. Basilii lib. 1. contra Eunuom. præmiu

Tomus I.

Justinus
Martyr in
Apologia
ad Senatū.

III.
S. Chryso-
stomus his
verbis: Quoniam
bona atque mala
Deus
posuit in nostrā
potestate, electionis
liberum donavit
arbitrium, & nos
invitos non retinet,
sed volentes
amplectitur. Eodem
planè modo loquitur
Tertullianus: Caterum
nec boni, nec mali
merces jure pensaretur
ei, qui bonus, aut
malus necessitate
inventus fuisset, non
voluntate. Nisi ergo
quis liber sit à
necessitate, nec
pœnā juxta Tertullianum
dignus esse potest.
Ad idem intentum
pulcherrimè S. Ambrosius:
Non servilis, inquit,
ad obediendum
constringimur
necessitate, sed
voluntate arbitria,
sive ad virtutem
propendimus, sive
ad culpam inclinamur.

Tertull. l. 2.
contra
Marcion. cap. 5.

S. Ambrosius
lib. de Jacob
& vitā beatā

IV.
S. Epiphanius
haer. 16.

S. Hieronymus
ep. 146
ad Damasum.

V.
De Patrum
circa Libertatem
consensu
dubitare
nemo
potest.

Magdeburgicorum
in Patres
petulantia.

primum sanctificationem habeat, quoniam naturā utitur liberā, ut ad utramlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni & peioris. Eadem mens est Justinus Martyris, qui de bonis hominum operibus loquens, sic habet: Neque quidquam horum laude dignum esset, nisi illi utramque in partem convertere, & quasi flectere se possent.

Eandem veritatem expressè docet S. Chryso- stomus his verbis: Quoniam bona atque mala Deus posuit in nostrā potestate, electionis liberum donavit arbitrium, & nos invitos non retinet, sed volentes amplectitur. Eodem planè modo loquitur Tertullianus: Caterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui bonus, aut malus necessitate inventus fuisset, non voluntate. Nisi ergo quis liber sit à necessitate, nec pœnā juxta Tertullianum dignus esse potest. Ad idem intentum pulcherrimè S. Ambrosius: Non servilis, inquit, ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitria, sive ad virtutem propendimus, sive ad culpam inclinamur.

Huc etiam spectat illud S. Epiphanius: Propterea quod possit (homo) peccare, & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumuntur, alius verò laudem fert rectè factorum. Nec minus clara hac in re est mens S. Hieronymi, qui sic loquitur: Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propriae libertatem, & ut viveret unusquisque, non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo: id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum. Denique S. Hilarius in Psalmum 118. Vnicuique, inquit, ad id quod volet via est proposita, vivendi, & appetendi, atque agendi permittitur libertas: & ob id unusquisque aut pœnā, aut prœmii afficitur electio. Innumera alia sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, ad hominis libertatem altruendam testimonia proferre possem, sed hæc ad intentum sufficiunt.

Luce ergo clarius est, uno Patres omnes consensu in hoc conspirare, hominibus scilicet libero inesse arbitrium, plenumque eos habere sui in ordine ad bonum & malum dominium: & nihil ferme est, quod majore studio & conatu stabilire nituntur, validioribusque firmare argumentis, tanquam totius humanæ & honestæ vitæ basim ac fundamentum. Imò hanc Patrum esse sententiam, Sectarii ipsi agnoscunt, se proinde hac in parte Patribus adversari profitentur. Imò eo temeritatis & audaciæ procedunt Magdeburgici, cum aliis quibusdam, ut hoc nomine acriter Patres reprehendant, acerbèque in eos invectantur, quod in arbitrii libertate, hominisque post Adami lapsum indifferentiā astruendā, stabilieudaque tantopere desudarint. Quæ verò hæc in re S. Augustini mens fuerit, dicetur Sectione sequente.

SECTIO SEPTIMA.

Quæ Divi Augustini circa libertatem indifferentiæ, hominisque in naturā lapsā immunitatem, à necessitate fuerit sententia.

I.
Obicit Jan-
senius S. Au-
gustinum
negare Li-
bertatem
indifferenti-
am.

QUAMVIS aliorum Patrum in hæc de libertate controversia auctoritatem non respuat Jansenius, præcipuè tamen ad S. Augustinum provocat, quoniam, inquit, si prælium involvatur, debellatum est, nec tam arma ad conflictum, quam lauræ ad triumphum comparandæ. Objicit itaque, apertissimam S. Augustini doctrinam esse, nullam in nobis post lapsum primi parentis

dari libertatem indifferentiā ad bonum & malum, sed quicquid, sive rectè, sive secus sit, necessariò fieri, vel gratiā ad bene operandum, vel concupiscentiā ad peccandum, & ab intrinseco, & absolute ita determinante, ut penes nos non sit resistere, neminemque in bonis aut malis actibus à necessitate esse immunem. Hæc ille. Huic objectioni à Calvino dudum propositæ, ex cujus scriptis illam, ut plura alia verifimiliter hausit Jansenius, Bellarminus in Præfatione de Libero arbitrio, §. Sed à partibus, his verbis respondet: Omitto, inquit, quòd etiam S. Augustinus Calvino faveret, tamen neminem tam iniquum judicem esse oportet, qui unum hominem, quamvis Doctissimum, omnium seculorum Patribus & Doctoribus, totique Ecclesiæ, atque adeo orbis terra consensu anteferret. Quod Bellarminus Calvino, hoc mutato nomine Jansenistæ dictum putent Iprensi.

Secundò tamen dico, certissimum esse, docere S. Augustinum in hominibus post Adami lapsum dari libertatem indifferentiā circa bonum & malum. Hoc imprimis clarissimè probat illud Divi Augustini dictum, quod supra, sectione primā, num. 2. attuli. Si laboriosum est, inquit, omniam dare memoria, hoc brevissimum tene: quacunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Quod idem dictum repetit, & approbat libro de Naturā & Gratiā, cap. 67. quem librum scripsit contra Pelagium: quod indicio est eum in his libris non mutasse sententiam. Libro etiam de verā Religione cap. 14. Si, inquit, necessitate id fecissent, nullo peccati crimine tenerentur. Quod tam clarum esse affirmat, ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Item libro primo de actis cum Felice Manich. cap. 4. Habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Tandem ut alia omittam lib. 2. contra Faustum sic scribit: Et nos sub fato stellarum nullius hominis generis sumus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Quid clarius?

Nec existimet quisquam (quod opponunt nonnulli) S. Doctorem in libris contra Pelagianos scriptis mutasse sententiam, quod cum non icicisse optimè ostendit Bellarminus lib. 5. de gratiā & libero arbitrio cap. 28. & ex quibusdam S. Augustini testimoniis, quæ hic adducam, clarè constabit. Præter dicta ergo num. præcedente libro de spiritu & literā, cap. 34. ait Misericordiam Dei in omnibus prævenire nos: sed consentire Dei vocationi, vel ab eâ dissentire, propria voluntatis esse. Deinde libro de gratiā & libero arbitrio contra Pelagianos scripto, cap. 2. postquam illud I. Joan. 2. retulisset, Nolite diligere mundum, &c. subjungit: Nempe ubi dicitur, noli hoc, & noli illud: & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis mandatis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Libro etiam de naturā & gratiā, cap. 65. cum hoc S. Hieronymi dictum retulisset, Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec coronatio est. Illis relatis ea approbat S. Augustinus his verbis: Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Alia plurima in hanc rem D. Augustini afferre possem testimonia, sed hæc pro instructo sufficient. Videatur Bellarminus citatus, & alii. Appositum verò D. Augustini ad libertatem hominum probandam testimonium ponitur infra, sectione decimā, num. septimo.

SECTIO

Calvino hic
idem dudum
objicit
quod res-
det Bellar-
minu.

II.
Certum est
S. Augusti-
num docere,
in naturā
Lapsā dari
libertatem
indifferenti-
am.

S. Augusti-
tom. l. lib. 2.
de Lib. arb.
cap. 14.

III.
In libro con-
tra Pelagianos
scriptis
non mutasse
S. Augustini
sententiam
de libertate.

Dicitur
S. Hieronymi
de libertate
arbitrii
condidit
Deum
approbavit
S. Augustinus.